

fallus, & in casu quo per se ipsum defendere ipsum castrum non posset, quod eundem poneret in manibus dicti D. Episcopi, cum idem D. Episcopus paratus esset eundem castrum defendere a quolibet ex prædictis, & quolibet alio sicut Dominus dicti castri, & omnium prædictorum, & etiam omnia alia facere versus dictum Bartholomeum, quæ de jure appareret eundem facere debere, & quod ad aliquam compositionem, transactionem, conventionem seu ad aliquod colloquium tractatum compromissum, vel alium contractum, sive pactum occasione dicti castri cum aliquo ex præmissis, sive cum aliquo qui esset inimicus dicti D. Episcopi, sive aliquid de bonis Ecclesiæ Aquensis violenter detineret occupatum pervenire non deberet, nec ausus esset sine expressa licentia, & voluntate, & consensu dicti D. Episcopi, quod si contra prædicta, vel aliquo prædictorum in aliquo faceret, vel veniret, quod ipse Bartholomeus esset privatus a feudo dicti castri, & omnium prædictorum, ac etiam ex nunc prout ex tunc, & contra, & quoties in aliquo ex casibus antedictis fieret per eundem Bartholomeum idem D. Episcopus privabit eundem Bartholomeum a feudo dicti castri, & omnium prædictorum, ac etiam totius ejus quod idem Bartholomeus teneret in feudum, seu alio modo ab Aquensi Ecclesia quocumque modo, jure, & forma quibus de jure melius potest dictam privationem facere poterit, & pro privato de omnibus ex prædictis eundem Bartholomeum declarabat tamquam Dominus dicti Bartholomei castri, & omnium prædictorum, ut de prædictis protestatione, denunciatione, & omnibus supradictis patet publico instrumento recepto per me Franciscum Notarium infra scriptum prædictis millesimo, indictione, die VIII. decembris. Cumque appareret dictum Bartholomeum capi, ac detineri fecisse quendam de Bruno cum suis bobus hominem D. Gulielmi Scarampi cognati dicti D. Episcopi venientem de Alexandria, & redeuntem ad locum Bruni feudum D. Marchionis Montisferrati pro mercatando, & negotiando, & ipsum ducendo super posse Bistagni loci dicti D. Episcopi, & ipsum hominem sic captum duxisse in castrum Rochettæ Pellasæ, & eundem detinere in dicto castro, & in ipsius fortiam ut constat per confessionem dicti Bartholomei in præsentia Jacobi Loi de Ponte Notarii procuratoris dicti D. Episcopi, ut patet publico instrumento dicto anno die XXIX. novembris: ac etiam appareret D. Petrum de Gamora de Palma Vicarium Marchionis Montisferrati eidem D. Episcopo comminatorias quam plures literas destinasse, in quibus continebatur, quod idem D. Episcopus dictum hominem dicti D. Marchionis cum dictis bobus relevari faceret per dictum Bartholomeum, aliter concederet contracambium dictis de Bruno contra homines de Bistagno; pro eo quod dictus homo cum bobus transitum fecerunt super posse Bestagnum, ac etiam contra ceteros homines, & bona totius Episcopatus, ac etiam ad ulteriora procederet, qua in honorem dicti D. Episcopi non cederent aliquo modo, imo cederent in maximum detrimentum D. Episcopi, & totius terræ ipsius, &

hominum suorum; atque hoc patet ex ipsius Vicarii litteris proprio sigillo munitis, ac etiam appareret sicut dictus Dominus Episcopus eidem Bartholomeo denunciari, & requiri fecerat dictum hominem cum dictis bobus per dictum Jacobum Loi Notarium, & procuratorem suum, & quia ipsum hominem cum bobus prædictis eidem procuratori daret ut ipsum posset ducere in fortia, & baylia prædicti D. Episcopi, aliter si prædicta non faceret quod propter detentionem dicti hominis, & bobum maximum periculum, & detrimentum eidem D. Episcopo, & omnibus hominibus suis, ac rebus eorumdem, & totius terræ ipsius posset evenire, & quia hoc idem procurator requirebat ab ipso Bartholomeo sub pœna privationis feudi dicti castri, & omnium prædictorum, & totius ejus quod teneret ab Aquensi Ecclesia. Et quia ipsum Bartholomeum tamquam infidelem, & inlegalem tamquam mandatorum præfati D. Episcopi totaliter inobedientem a feudo dicti castri, & omnium prædictorum privabat, & pro privato haberi perpetualiter declarabat; ex tunc prout ex nunc omni modo, jure, & forma, quibus melius idem procurator dicto procuratorio nomine poterat si, & quoties contra prædicta, vel aliqua præmissorum per dictum Bartholomeum fieret, ut de prædicta protestatione, requisitione, & pronunciatione apparet publico instrumento recepto per me Notarium infra scriptum prædictis M., & indictione die 29. novembris; cumque & appareret eundem Bartholomeum post dictam requisitionem respondisse dicto procuratori, quod dictum hominem ei dari non poterat, & quod in casu quo idem D. Episcopus eum vellet tantum habere, quod ipse poneret hominem in fortiam, & bayliam eorum, qui ipsum cœperunt, ut de ipso facerent quidquid vellent contemnendo, & dicendo contra præcepta dicti D. Episcopi, & contra ipsius honorem, & pacificum statum, ut de prædicta responsione patet instrumento requisitionis prædictæ; cumque & appareret prædictum Bartholomeum ad colloquium pervenisse cum dicto D. Vicario dicti D. Marchionis, ignorante dicto D. Episcopo, tractando cum eodem Vicario super facto dicti castri Rochettæ, eo modo quod cum dicto D. Marchione aliqua, & talia fecit, quæ redundabant, & poterant redundare in grande præjudicium dicti D. Episcopi, & Aquensis Ecclesiæ antedictæ, & quod molestat continue, & hinc retro quam pluries molestavit dictum D. Episcopum de dicto suo feudo Rochettæ Pellasæ, & posset ad concordiam pervenire absque voluntate dicti D. Episcopi, & scientia ipsius, ut prædicta constant per publicam vocem, & famam, quam plurium circumstantium eidem castro Rochettæ, & habitatoribus in eisdem. Cumque & appareret eundem Bartholomeum de dicto Domino Episcopo Domino suo dixisse Domino Vicario, & quam pluribus aliis personis multa verba infamatoria, ut dicit dictus D. Episcopus, & quæ cedere possent in grande detrimentum, & præjudicium dicti D. Episcopi, & hominum totius terræ suæ, ac & eundem Bartholomeum in ultimis constitutum testamentum fecisset